TYPOGRAPHUS LECTORI.

P*Vblici tandem Juris fit Epistola, quam Sacrum Cardinalium Collegium ad Cardinalem Noaillium Archiepiscopum Parisiensem non ante multos menses scripsit. Magnum statim de illâ rumor omnium desiderium incẽdit, sed altum adeò, nescio quâ Religione, secretum eâ super re tùm Romæ, tùm Parisijs servatum est, ut explendæ curiositati irritus, & inanis hactenùs cesserit multorum labor, & industria. Vtinam & ipsius Card. responsum insimul exhiberi posset, sed*

 de

de illo nec ex publicis Tabulis quicquam vulgatum est. Quia verò ad eandem Epistolam pertinere videntur aliæ duæ olim à prædicto Cardinali ad Summum Pontificem scriptæ; ex his alteram tantùm, quæ ad manus nostras pervenit, hìc adjungendam ad clariorem Lectorum intelligentiam existimavi; sicut etiam illam, quæ à defuncto Rege Christianissimo, in hujus confirmationem, ad eundem Pontificem data fuit.

Re-

FORIS.

Reverendiſs. in Chriſto Patri, & Domino D. Ludovico Antonio, tituli S. Mariæ ſupra Minervam. S. R. E. Preſbyt. Card. de Noailles, Collegæ, & Fratri noſtro Chariſs.

PARISIOS.

INTUS VERO

MIſeratione Divinâ Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R. E. Cardinales. Reverendiſs. in Chriſto Pater, & Domine, Frater, & Collega noſter Chariſs. Salutem, & ſinceram in Domino charitatem. Ubi primùm Sanctiſſimus Dominus noſter integram cauſſæ ſeriem, quæ ad notiſſimam Sanctitatis Suæ Conſtitutionem, cujus initium eſt; *Unigenitus Dei Filius;* jam ante tres annos editam, pertinet, Nobis in generali Cœtu congregatis aperire dignatus fuit, ac dolenda illa omnia, quæ ex diuturnâ nimis il-

lorum Episcoporum, qui istic eandem Constitutionem eâ, quâ par est, submissione nondùm susceperunt, cunctatione provenerunt, & in dies proveniunt, luculenter enarravit; quamvis hæc ipsa jampridem multorum literis, & sermone, imò etiam, famâ ipsâ nunciante, Nobis innotuissent, magno tamen cum dolore uberiorem illorum explicationem à Sanctitate Suâ Nobis factam accepimus. Cum verò insuper, ut præsentibus hisce tam gravibus, imò & futuris forsan gravioribus malis opportunè occurratur, ea iam à Sanctitate Sua remedia decerni inaudivimus, quæ etiam Dominationem Tuam Reverendissimam unicuique nostrûm non minùs charitate, quàm gradu conjunctissimam afficerent, nisi posthabitis, rejectisque ijs, quibus detinetur, difficultatibus, quantociùs præfatæ Constitutioni se submitteret,

teret, adeò perturbati fuimus, ut mœrorem animis noſtris conceptum nullâ lenire ratione potuerimus. Quapropter, re maturè perpensâ, noſtrarum partium eſſe duximus enixè Clementiſſimum Pontificem deprecari, ut paulisper Decretis ſuperſedere vellet, ijſque interim fraternæ charitatis officijs Nos fungi permitteret, quæ conſtans noſtra erga Te benevolentia, Eccleſiæ pax, Regnique iſtius ſalus jure, ac meritò à Nobis depoſcere videbantur. In magnam porrò ſpem erigebamur, D. T. Reverendiſſimam pro ſingulari ſuo in Sacrum noſtrum Collegium ſtudio tùm benignè excepturam eſſe ſolida hæc ingenui amoris Noſtri argumenta; tùm etiam impensè curaturam, ut Chriſtiana Reſpublica optatiſſimum illud, quod jamdiù præſtolatur, gaudium, veluti uberrimum harum noſtrarum literarum fructum, perciperet. Petitam

moram non extorſimus, ſed illam facilè Sanctiſſimus Pater indulſit: cui nimirùm nihil magis cordi eſt, quàm, ut in ejus Paternum complexum quàm celerrimè venire contendas. Quinimò propoſitum noſtrum plurimùm commendavit, non exiguâ ſpe fretus, quòd D. T. Reverendiſs., quæ aliàs ſui in Apoſtolicam Sedem obſequij egregia edidit monumenta, nunc pariter officijs noſtris adducta memoratam Conſtitutionem abſque ulteriori morâ, ad ſinceræ, integræ, promptæque obedientiæ Noſtræ normam complexura ſit.

Nos verò Te in hanc Nobiſcum ſententiam eò certiùs deducendum eſſe confidimus, quòd per hæc tempora à factioſis hominibus lapis omnis movetur, ut propè divulſus, ac penitùs diviſus ab illo peculiari nexu videaris, quo Nos invicem colligamur, & Univerſus Ordo Noſter Summo Pontifici, tanquàm Supremo

Catho-

Catholicæ Ecclesiæ Capiti arctissimè conjungitur. Licèt enim Nos minimè lateat fallaces istas, & insidiosas artes ab illis adhiberi, ut tui nominis amplitudine splendidum pravæ Doctrinæ patrocinium comparent, eamque Populis, hoc veluti lenocinio, faciliùs ingerant, non tamen illata Tibi injuria exindè minuitur, sed maximè augetur; Improbi siquidem Homines isti tantæ calumniæ occasionem forsan nacti sunt ab illâ animi lenitate, quâ, ut illis omne perfugium eriperes, vanis cavillationibus eludendæ Constitutionis, opportunum judicasti ab illius promulgatione abstinere, donec Sanctitas Sua sedandis, ut ferebatur, jam commotis eâ super re in Galliâ turbis necessaria remedia suppeditaret. Hinc enim factum est, ut palàm, fidenterque jactarent, D. T. Reverendissimam eisdem, ac illi prohibentur, rationibus à suscipiendâ Consti-

 stitu-

ſtitutione deterreri: tuam proindè, & illorum hac in re promiſcuè cauſsam agi; eoſque à Te probari ab aperto Conſtitutionis hujuſmodi tenore alieniſſimos ſenſus, quos ei falsò non minùs, quàm impudenter conantur affingere, perindè ac ſi nimirùm Conſtitutio ipſa, quæ in ijs, quas improbat, propoſitionibus aut pridem damnatos, aut novè adinventos errores contineri diſertè edicit, ea inſuper perſtringeret, quæ nec nova ſunt, nec aliàs unquam damnata fuere; ita ſcilicet mentiri libuit perditionis filijs, ut per ſummam calumniam effutire etiã poſſent, eâdem Conſtitutione præcipuam, eamque laudabilem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ vim infringi: ſolidiora Chriſtianæ illius inſtitutionis, quæ de moribus eſt, fundamenta ſubverti: imò, quod horremus referre, ipſamet etiam Orthodoxæ fidei Dogmata labefactari. Verùm, cum præterita-

rum

rum rerum memoriâ doceamur; idcircò Romanam Beati Petri Apoſtolorum Principis Cathedram, ſæpe malorum hominum conatibus impeti, ut bonorum fides, atque conſtantia magis eluceat, omninò perſuaſum habemus fore ut, quemadmodum retroactis temporibus in ſimilibus Eccleſiæ perturbationibus ſapientiſſimus quiſque, ne à rectâ veritatis ſemitâ deflecteret, Apoſtolicæ Sedi firmiùs adhæſit; ita D. T. Reuerendiſs. pro ſuâ ſapientiâ, & pietate, his in Eccleſiâ exortis diſſidijs, tenaciùs eidem Sanctæ Sedi obſtringenda ſit; ſicque fiet, ut hæc procella non ad obſcurandam, ſed ad magis illuſtrandam fidem, gloriamque tuam excitata eſſe videatur.

Si qua igitur conſolatio in Chriſto, ſiquod ſolatium charitatis, ſiqua ſocietas ſpiritus, impleat D. T. Reverendiſs. gaudium noſtrum, ut idem ſapiamus unani-

mes; nec diutiùs à Nobis, & alijs per Galliam Confratribus suis Episcopis, cæterisque per Universam Ecclesiam Antistitibus dissentiat. Quid enim ad frangendam Rebellium contumaciam, qui magis ipsâ durantur indulgentiâ, superest, nisi ut Pastores ipsi inexpugnabilem illam, & inconcussam concordiam, in quâ Fidei nostræ stabilitas tota consistit, perpetuâ firmitate servantes prompto, & sincero erga Apostolicum Decretum obsequio facem præferant, ac reluctantes Subditos consueto Sacrorum Canonum rigore compellant? Te ipsum hac in re consulas, Frater, & Collega noster charissime, qui tuis olim ad Sanctitatem Suam datis literis (quarum Nos nonnisi singulari cum voluptate, maximâque tui gloriâ reminiscimur) nihil Tibi optatius esse apertè professus fuisti, quàm ut Coepiscopis tuis, ac Catholicis omnibus Fidei, & Ob-

servantiæ in Apostolicam Sedem non modò socius esses, sed præesses, & præires. Nonne experientiâ suâ probè novit D. T. Reverendiss., quoties ità se gessit, traditamq; à Majoribus nostris viam retinuit, toties uberrimam suæ pietati laudem comparasse, & factiosos homines obmutuisse? Incertum igitur diu, & fluctuantem animum tandem confirmet. Hoc à Te effusis precibus petimus, & jure speramus: Siquidem, ubi intelleximus eâ Te mente Constitutionis promulgationem distulisse; nonnullasque priùs Sanctitatis Suæ Explicationes exoptasse, quòd censueras sic majorem Pontificio Decreto observantiam haberi, certam Nobis spem fecimus, omninò futurum esse, ut statim ac cognovisses, id ipsum nequaquam in hujus Sanctæ Sedis honorem, sed contemptum accipi, nemo Te promptiùs, atque paratiùs in Apostolico Judicio cõquie-

sceret. Quâ quidem re nihil Nobis lætius, nihil Tibi gloriosius, nihil Sanctitati Suæ acceptius, nihil Ecclesiæ salubrius, totique negocio breviter expediendo utilius poterit evenire; neque enim dubitamus, quin Antistites illi, qui Tecum sentiunt, facilè, ac libenter illustre tuum exemplum sint secuturi. Sincero tandem, ac ferventi amori nostro indulgeat D. T. Reverendiss., vt liberè dicamus in tanto Religionis discrimine, ita sibi constituendum esse, ut splendidæ suorum natalium nobilitati, præclaræ suæ virtuti, ac eximiæ pietati nullum indè exoriatur detrimentum: sed potiùs Galliâ, Româ, Universâque Ecclesiâ spectantibus, Sacrum nostrum Collegium lætari, & gloriari meritò possit, quòd Te in pristinum Summi Pontificis amorem restituerit, exploratumque omnibus fiat, S. R. E. Cardinales non minùs solemnis jurisjurandi religione,
ligione,

ligione, quàm alijs arctissimis vinculis Apostolicæ Sedi præ cæteris obstrictos in illius cultu, & veneratione alios non sequi, sed antecedere, nec unquam ab ejus obedientiâ se subtrahere, sed in illâ tanquam obsequentissimos filios, constantissimè perseverare. Nos interim D. Tuę Reverendissimæ à Deo Optimo Maximo omnia fausta precamur. Datum Romæ sub sigillo Trium Nostrûm in Ordine Priorum die 16. Novembris 1716. Sede plenâ.

Exemplar Epiſtolæ ad Beatiſſimum Patrem Clementem XI. Pontificem Maximum ſcriptæ; quâ declaratur, quo animo fuerit Clerus Gallicanus in Comitijs, quæ habita fuerunt Anno 1705. *occaſione editæ tunc temporis Conſtitutionis.*

BEATISSIME PATER.

CUm intimo doloris ſenſu accepi, modum illum, quem Clerus noſter Gallicanus in Comitijs habitis anno 1705. tenuit occaſione Conſtitutionis à S. V. editæ adversùs Janſenianum errorem, quæ incipit; *Vineam Domini Sabaoth*; viſum fuiſſe eidem S. V. diverſum ab eo, quem olim Majores noſtri, occaſione Conſtitutionum à Summis Pontificibus Innocentio X., & Alexandro VIJ. eâdem in re editarum tenuerunt,

adeò-

adeòque præfatam S. V. Constitutionem, non eâ, quâ par erat, veneratione, atque obedientiâ ab eodem Clero acceptam fuisse. Quod sanè, cum à mente ipsius Cleri prorsùs alienum fuerit, officij mei, & æquitatis esse duxi, B. V. quid rei esset aperire, maximè cum ijs Comitijs præfuerim eâq; de caussâ Votorum omnium particeps, ac præcipuus Testis extiterim.

Testor igitur primò, in Comitijs prædictis Clerum nostrum verè in animo habuisse, Sanctitatis Vestræ Constitutionem eodem prorsùs obsequio, eâdemque obedientiâ accipere, & amplecti, quâ Majores nostri omnes S. V. Prædecessorum Bullas adversùs Jansenium acceperunt, & amplexi sunt.

Secundò, cum Clerus dixit, *Constitutiones Summorum Pontificum à Corpore Episcoporum acceptatas totam Ecclesiam obligare*: mens ejus non fuit, necessariam

esse

esse ejusmodi acceptationis solemnitatem, ad hoc, ut illæ tanquam regulæ credendi, & loquendi ab omnibus Catholicis haberi debeant; licèt aliquando ista solemnitas non mediocris esse possit utilitatis, ubi natus est error; ultima enim Jansenistarum munimenta penitùs convellere, ipsisque effugium omne in nostris partibus, principio ab his concesso, intercludere operæ pretium duxit.

Tertiò non sibi arrogavit Clerus, ut Sanctiones Pontificias examini suo judicandas subijceret, sed in ipsis, quod olim scribebant Leoni Magno Episcopi Gallicani; *Gaudens, & exultans fidei suæ sensum recognovit, & ita se semper tenuisse, ut vester Apostolatus exposuit, jure lætatus est.*

Quartò, certum illi fuit Pontificijs Decretis adversùs Jansenium nihil deesse, ut Universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appella-

pellationem admitti, nec mutationem expectari posse. Idem & de Apostolicis adversùs Bayum, Molinosum, & Librum vulgò dictum; *Maximes de Saints*, Definitionibus professurum fuisse Clerū existimo, si de illis actum fuisset.

Quæ cum ita se habeant, & genuinam nostrorum Episcoporum sententiam explicent, Sanctitatem Vestram enixè precor, ita de Ecclesiâ Gallicanâ sentiat, ut illam credat, qualem scripsit Innocentio IJ. Sanctus Bernardus; *Fortem in Fide, pacificam in Unitate, devotam in Obedientiâ Vestrâ, promptam ad Servitium;* Sic etiam hodie affecti sunt omnes Episcopi nostri; ego verò debitæ Apostolatui vestro obedientiæ primus omnium faciam satis.

Apostolicæ Sedi quanta debeam, monebunt me semper Religio, gratus animus, & insita erga Romanam Ecclesiam reverentia, neque necessarius erit ad confirman-

mãdam omnimodam hanc meam obſervantiam aſpectus Purpuræ illius, quâ honeſtor, & in omnibus ſummâ cum veneratione, & obſequio me exhibeo.

Pariſijs 28. Junij 1711.

S. V.

Humil.mum Dev.mum, & Obſeq.mum filium, & ſervum
L. A. Card. de Noailles.

TRES

TRES SAINT PERE.

COmme Nous sçavons, que les Evêques de nôtre Royaume assemblez par nôtre permission en l'anneè 1705. n'ont eu d'autre intention en reçevant la Constitution de V. S., que de marquer le respect, qu' ils ont pour Votre Beatitude, nous avons approuvè la lettre, que le Cardinal de Noailles President de cette Assembleè ècrit à V. S. comme têmoin de ce, qu'il a veu, & de ce, qu'il sçait des sentimens de ses Confreres. Nous La supplions aussy de croire, que nous employerons toujours avec plaisir nôtre autoritè à maintenir dans nôtre Royaume la veneration düe au Chef de l'Eglise, & au Vicaire de Jesus Chrîst sur la Terre, & que nous souhaitons tres sincerement, qu'il plaise à Sa Divine Bontè de conserver longtems un

sì

sì grand Pape pour le bien des fideles. Ecrit à Marly le 29. Juin 1711.

Votre Devot fils
Le Roy de France, & de Navarre Lovis.

Colbert.